DE

OSSIUM FUNGO MEDULLARI

ANEURYSMA SIMULANTE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA,

CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XXVII. MENSIS NOVEMBR. ANNI MDCCCLVI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS MUECKE,

SAXO.

OPPONENTIBUS:

C. MOSLER, DR. MED.

F. SCHEEL, CAND. MED.

J. SCHLAUTMANN, DR. MED.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PATRUO

OPTIMO DILECTISSIMO

AUGUSTO MUECKE,

VERBI DIVINI MINISTRO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

Priusquam de ossium fungi medullaris natura ejusque decursu disseram, pauca quaedam de ejus structura et morbi denominationibus praemittere liceat, ut inde deducam, quaecunque postea dicturus sum.

Tres praecipue carcinomatis partes discernuntur, stroma, cellulae, succusque carcinomatosus. Stroma illud constat ex telis cellulosis modo provectioris, modo recentioris conformationis, nec non ex cellulis fusiformibus, caudis insignibus, quas multi histologi carcinomati quasi pathognomicas vindicarunt. Nostris autem temporibus, ex observationibus accuratius ampliusque institutis, satis elucet, tales in aliis quoque tumoribus ebservari, nequaquam malignis, cellulisque solis tumores, quoad naturam eorum, dignosci non posse, sed ad morbi decursum potius ejusque symptomata medico esse respiciendum. Hanc solam utilitatem investigatio microscopica nobis profert, quod docet, qua ratione et quo ex textu tumor originem ceperit.

Stroma et cellulae in omnibus carcinomatum speciebus eaedem inveniuntur; copia earum sola atque forma mutat consistentiam naturamque tumoris physicam, et his vel illis praevalentibus dignoscuntur genera. In scirrho enim praevalet stroma, in fungo autem medullari cellulae et succus, qui dicitur, carcinomatosus, inter lata amplaque stromatis intervalla situs. Massae haece consistentia et colore cerebri medullaeque spinalis substantiae vel, ut ait Monro, piscium spermati haud dissimiles sunt. Inde factum est, ut Abernethy hunc morbum denominaret „medullary sarcoma,“ carcinoma pulposum sive medullare,“ Laennec vero „Encephaloïde“ et Wardrop „Carcinoma molle [soft cancer];“ Maunoir nomine fungi medullaris usus ei morbumque ex corrupta nervorum substantia oriri censuit.

Illo succo solo et cellulis in eo suspensis si infiltratur organon quoddam tertiam carcinomatis formam invenimus, infiltrationem carcinomatosam, ubi telae infiltratae stroma quasi constituunt.

In stromate illo vasa decurrunt At nequaquam eo plura reperiuntur, quo largiore et densiore stromate tumor praeditus est. Quae vasa injecta Gerlach conspexit modo angusta, modo dilatata, nodosa, varicosa, neque illa raro interrupta et lumine aperto in cavo tumoris finem capientia reperit. Rami ex arteria membri maxima ita dilatati serpunt ad tumorem ut Ill. Schuh quondam arteriam spermaticam fungum testiculi medullarem intrantem ad arteriae femoralis magnitudinem dilatatam invenerit. Accedit

quod Ill. Virchow, vasis carcinomatum injectis permotus, arterias in his tumoribus multo venis praevalere contendit. Unde explicare possumus, quapropter Bérard, Schroeder van der Kolk aliique arterias tantum, non autem venas tumori inesse observaverunt. Inde Lebert incrementum fungorum rapidum deducere conatur. Etenim quum venae tumoris ipsius compressione facilius collabantur et obturentur, quam arteriae, quarum lumina validiore pulsus impetu aperta remaneant, ille plus sanguinis quam per parcas venas refluere posse opinatur, et A. Cooper iisdem observationibus commotus audacter quamquam frustra, arteriam, ad fungum medullarem sanandum ligatura clausit.

Propter illam vasorum abundantiam W. Hey de Leeds*), Wardrop Lawrence et S. Cooper hunc morbum vocarunt fungum haematodem.

Aetiologia.

De aetiologia hujus morbi, quum nimis adhuc in obscuro sit, haud multa cum certitudine quadam dici possunt.

Fungus medullaris vel innatus est vel seriore aetate gignitur. Infantes, pueri et puellae, mares et feminae, cujusvis aetatis aeque huic morbo succubuere; rarius autem ossa in prima juventute quam

*) Practical Observations in surgery, illustrated by cases. The 2 edition by W. Hey. London 1810.

molles partes fungo medullari correpta esse videntur. Inde multi diathesi scrophulosae causam ad hunc morbum praedisponentem inesse contenderunt, idque variis rationibus firmare conati sunt, quum morbus scrophulosus infantibus praecipue sit proprius et infantes potissimum ad illum inclinent. Saepe etiam scrophulosin antecessisse negare non possumus. At rectius dicat aliquis, nonne ossa, qualia sunt in aetate infantili, consistentia molliore nondum dura, nec prorsus ossificata, minus inclinant ad fungum medullarem? Huc quoque illae autorum, inprimis Wardropii observationes mihi videntnr pertinere, ubi ossa cylindracea ita erant consumpta, ut externa modo ossis capita, conjuncta solo periosteo, essent integra, cujus observationis causa hac ratione potest explicari. In pueritia diaphysis ab epiphysibus separantur cartilagine, serius demum ossescente, et quum cartilagines, ligamenta et aponeuroses diutius quam aliae partes huic neoplasmati resistant, inde satis elucet, diaphysin solam consumi.

In aetate provectiore arthritidem et rheumatismum hoc malum gignere posse legi; at nequaquam assentior, quia dolores illi, quibus vexantur aegroti, non rheumatismum sive arthritidem, sed jam fungum medullarem infiltratum indicant, quamvis aegri refrigerationi sese exposuisse profiteantur et ipsi dolores illos significent „rheumathicos.“ In illo quoque casu carcinomatis ossibus infiltrati, quem observavit Rokytansky, commemorantur dolores rheumatici, qui per annos complures exstitisse traduntur; quid

igitur mirum, si in multis hujus morbi historiis contra hosce dolores tincturam. Semin. Colch. aliaque medicamenta antirheumatica, et, ubi dolores illi remissiones quasdam servarunt regulares, Chininum sulphuricum hujusve generis plura ordinata esse legimus*)? Quae cum ita sint, febrem intermittentem pari jure ac rheumatismum et arthritidem inter causas hujus morbi praedisponentes referre possimus.

Ridiculum est, quod Maunoir et Betschler morbum illum ex substantia nervorum exsistere et per vaginam eorum uberrime progerminare multis verbis contenderunt; id quod rationando tantum demonstrare conati sunt. Illi enim sententiam eo comprobare student, quod in casibus quibusdam nervos in substantiam medullarem mutatos fuisse dicunt; attamen magni membrorum nervi in sectionibus quam saepissime haud mutati inveniebantur, et si fungo destructi reperiebantur, nihil aliud hinc concludere licet, nisi substantiam nervosam sicut quodvis aliud organon in massam fungosam commutari posse; praeterea nervi exigua tantum productionis facultate gaudent, quam magno gradu habere eos necesse esset, ut tumores ingentes in membris et organis internis inventi, ex vera substantia nervosa formare possent. Itaque plurimorum autorum sententia, fungum medullarem morbum esse ex dyscrasia univer-

*) Cf. Schmidts Jahrbücher Bd. 85. p. 300.

sali ortum, qui in omnibus partibus oriri possit, omnibus aliis mihi videtur praeferenda.

Fungus medullaris aut ab initio in ossibus solis observatur, aut ossa ingreditur ex vicinis organis jam destructis, aut fungosae infiltrationes in ossibus secundariae obviam fiunt, postquam jam alterum organon remotius eodem morbo periit. Ossa et hepar sola sunt fortasse organa corporis humani, quae pari ratione ac frequentia corripiuntur fungo medullari primario et secundario; ventriculus vero, mammae, uterus raro tantum fungo afficiuntur secundario. Ubi ab ossium periosteo exoritur fungus, superficialis sive externus vocatur, internus autem a membrana medullari proficiscitur, qui multo frequentius observatur quam ille et saepissime praebet formam fungi haematodis atque haemorrhagici. Rarius per totum ossis tubum infiltratur, saepius observatur in massis circumscriptis sub fines eorum ossium, qui majores componunt articulos. Nullum praeterea ossium corporis humani per se a morbo immune reperitur; ex quibus tamen aliud frequentius aliud rarius, morbi saevitiae expositum videmus; frequentissime occurrimus fungo medullari primario in capite tibiae, ossibus cranii, maxilla superiori et inferiori, capite humeri, praeterea in femore, in ossibus ilium et vertebrarum corporibus.

Symptomatologia.

Quamvis fungi medullaris natura et decursus

multa symptomata ac propria praebeat, tamen ea ita inter se diversa atque mutabilia sunt, ut et plena et vera morbi descriptio delineari non possit, qualis ad hunc morbum ex ceteris neoplasmatibus certe dignoscendum optanda erit. Fungus medullaris, Proteus ille inter neoplasmata, maximas praebet varietates, quoad formam, consistentiam, elasticitatem, colorem, textum, vasorum ubertatem celeremque progerminationem. Quae quum ita sint, symptomatum morbi ejusque decursus divisio in stadia quaedam haud vituperanda est.

Tria in universum fungi medullaris discernuntur stadia; stadium infiltrationis sive geneseos, sive prodromorum, stadium incrementi, stadium ulcerationis ac putredinis.

Quod ad stadium attinet prodromorum sive infiltrationis, in quo succus carcinomatosus seu massa carcinomatosa deponitur vel in ossium substantia spongiosa, — id quod saepissime fieri solet — vel in priosteo, illud inquam stadium modo penitus caret doloribus, modo vehementibus excellit. Odontalgia in maxilla, in extremitatum ossibus dolores oriuntur trahentes, pungentes, urentes; immo vero osteocopi, qui haud raro typum servant regularem. Ita aegroti et medici ne suspicarentur quidem gravioris hujus morbi praesentiam, nisi forsan raris in casibus oedema adesset glandulaeque jam tumidae apparerent.

Tum in secundo stadio ossa novis semper infiltrationibus tumescunt, recrudescunt dolores illi aegrotum magis magisque vexantes. Fungus medul-

laris majore adhuc ambitu lente ac pedetentim exedit suhstantiam osseam, licet exortus sit ex periosteo sive ex membrana medullari suoque augmento omnia magis magisque consumit consumptaque mutat in massam illam medullarem rubicundam aut albidam. Tumoris ambitus mutabilis, qui semper fere adest et modo major, modo minor apparet, iisdem rebus explicatur. Donec enim fungus latet in osse interno, palpitatione tumor quidam investigari non potest, nisi forsan ex atrophia locali et rarefactione substantiae osseae periostitis exstiterit. Tum osteophyta villosa, stalactiformia, exostoses, lamellosas et spiculas quae dicuntur, digitorum tactu invenies. Dolores, qui antea rheumatismum simulabant, recrudescunt vehementius, ita ut periostitidem suspiceris. Osse latius consumpto periosteum premitur et prominere incipit, ut tumor quidam dubius exsistat elasticus, firmiore consistentia, more cartilaginum. Perforatur tandem haec membrana, per ipsius foramina fungus progerminans penetrat, rapidoque incremento destruit telas vicinas, donec coërcetur aponeurosi. Talia evitantes impedimenta, fungi saepissime vias sequuntur maxime mirabiles, in quibus superficiem petunt corporis externam. Sic, ut afferam exemplum, fieri potest, ut fungus maxillae extrorsum fascia bucco-maseterica ac bucco-pharyngea coërcitus, serpat retrorsum, cancrorum instar, per fossam sphenomaxillarem, et ad fissuram orbitalem inferiorem proficiscatur, ubi exophthalmi symptomata efficit.

Fungo aponeurosi compresso denuo necrudescunt dolores, denuo tum tumor mutat consistentiam et formam. Inde igitur hoc in stadio dolorum illae remissiones et exacerbationes, inde tumoris ambitus mutabilis, consistentia modo elastica, modo fluctuans atque mollior, forma denique modo tuberosa ac nodosa, modo plana et laevis.

Qua quidem ossis exstinctione, vel partiali vel totali ossa ad fracturas disponuntur neque raro minima vis ad eas opus est. Notum est illud exemplum, quod affert Dupuytren, ubi monacha ex curru descendens et ab alia brachio adjuta, humerum fregit; neque ita multo post in lecto alium situm petens colli femoris quoque fracturam passa est. Aegrota enim mammae fungo laborabat. Similem casum carcinomatis renum cum fungo medullari interno utriusque femoris complicati legi*), in quo aegrotus variis quidem temporibus inter situm in lecto mutandum fracturam utriusque colli femoris effecit.

Fungi ossium medullares simulatque ad talem amplitudinem pervenerunt, qualem supra commemoravi, saepe pulsationum quoque symptoma praebent et aneurysma simulant, quippe quum arteriis valde abundent. Non solum tumoris pulsationes cum cordis actione congruunt, sed in eo etiam stridor quidam fere sibilans auditu percipitur, eodem tempore, quo pulsus. Stridor tumorisque pulsatio cessant

*) Schmidt's Jahrbücher 1855. Bd. 85. S. 300.

arteria in parte centrali compressa et compressione sublata denuo audiuntur. Compressa arteria sub digitorum pressu tumor dilabitur digitisque remotis resurgit. Quid mirum, si medici nuper tumorem hisce symptomatibus praeditum et in osse ilium supra foramen ischiadicum situm existimaverunt aneurysma arteriae glutaeae*). At Mr. Fergusson, qui postea aegrotum illum curandum suscepit, ex macie horribili, pallore faciei, digestione laesa et quod aneurysma arteriae glutaeae certe „rarissima avis" est, illum „medullary cancer" agnovit, id quod sectione praeclare comprobatum est. Quaecunque igitur sub nominibus „aneurysma ossium erectiles, pulsantes, sanguinei" descripta sunt huc pertinere mihi videntur. Ad haec comprobanda notum illud ossium aneurysmatis exemplum paucis afferre liceat, quod Scarpa in libro suo**) descripsit; in capite tibiae juvenis viginti quatuor annos natus, quod tribus annis ante bovis ictu offensum fuit, tumor exstitit pulsans sensim sensimque increvit, ut Scarpa aneurysma arteriae tibialis anticae agnosceret. Amputatione femoris paullo post instituta, arterias tibiales et popliteam reperit integras; periostei vero moles adaucta conformabat saccum illum aneurysmaticum, tibiae capitis loco situm, quem arteriarum rete cingebat. Saccum coagulis fibrinosis et sanguine impletum arteriae dilatatae intrabant ostiis apertis. Aeger

---

*) The Lancet Nov. 1854. p. 397.

**) Sull' Aneurysma Pavia 1804.

sanatus post sex annos rediit laborans aneurysmate recidivo toto in femore, quod aegroto subito mortuo, eodem modo quo antea caput tibiae, degeneratum inventum est. Substantiam illam mollem ex albido flavam et subrubram Dupuytren fungosam esse con tendit; praeterea morbi sedes in capite tibiae et morbus in femore recidivus amputatione facta satis naturam docent fungosam. Carnochan*) ad hoc usque tempus ab ossium fungo medullari discernit, „verum ossium aneurysma" quod ex locali quadam vasorum degeneratione atheromatosa oriri docet et ad sententiam suam comprobandam refert casum illi valde similem et a Dupuytren observatum: tumor quidam pulsans in anteriore tibiae parte, arteria femorali ligatura clausa, mox ita comminutus est, ut aegrotus dimitteretur. Septem autem annis post aegrotus ob tumorem, qui fere totum femoris tubum occupaverat, quamvis non pulsantem, reversus amputatione a tumore liberatus est. At Dupuytren ipse hunc morbum denominavit „fungum haematodem." Et recte hic quidem. Nam Lebert Traité pratique des maladies cancéreuses pag. 730 dicit „quant aux tumeurs erectiles des os, elles sont „proportionellement si rares, que dans le doute on „fera bien, de pencher plutôt, dans le diagnostic „pour une tumeur cancéreuse. Nous sommes frappés „de la fréquence des erreurs commises dans ce „sens que des tumeurs encephaloides ont été prises

---

*) Illustr. med. Ztg. 1853. Bd. 3. S. 45. 46.

„pour des tumeurs erectiles et essentiellement vascu-„laires, tandisque nous n'avons jamais vu commettre „cette erreur en sens opposé.“

Sub finem secundi stadii tertiique initium subintrant appetitus ciborum deficiens, digestio laesa, pallor faciei cutisque color luridus, sudores et febris illa adynamica. Tumor tandem crescit, mollities adaugetur et jamjam in apice tumoris spuria ista ac fraudulenta fluctuatio sentitur, quae medicum facile ad tumoris aperturam cultro peragendam inducit. Pus quidem non profluit, sed ejus loco parca tantummodo haemorrhagia. Quo facto fungus denudatus putredine et gangraena omnia destruens ex vulnere uberius progerminans procrescit; omnia tum majori cum praecipitatione in pejus ruunt exitumque lethalem maturant. Aegrotus tunc cessantibus quidem doloribus, ut in misserrimo spes sanationis excitetur, viribus magis magisque exhaustis moritur. Eadem fere, sed lentius quidem, punctura omissa fiunt, nisi secundariis infiltrationibus in organa graviora aegrotus morti succumbit praematurae. Quaecunque de therapia dicere possumus jam ab Hippocrate*) egregie prolata sunt.

„Quibus cancri occulti fiunt, eos non curare „praestat. Qui enim curantur, celeriter pereunt; „qui vero non curantur multum temporis perdurant.“

---

*) Hipp. Aphorism. 38. lib. 6. ed. Berol. 1822.

Historia morbi.

C. W. Sedinensis piscatoris uxor, 46 annos nata, die quinto mens. August. h. a. clinicum nostrum adiit chirurgicum, tumore genu dextri affecta, quem medicus quidam Sedinensis „tumorem genu album“ esse scripsit. Aegrota sese antea saepius febribus intermittentibus, spasmis surae, quin etiam haematemesi laborasse contendit. — Die 22. mens. Febr. h. a., quum arcam ponderosam loco movere vellet, in genua procubuit, ut haud ita multo post lapsum levibus in poplite dextro afficeretur doloribus. At pedis debilitas, quam post lapsum remansisse narrat, aegrota, et tumor genu non tanti erant momenti, ut officiis fungi nequiret. Novo lapsu in glacie tertioque post biduum mulier lecto tenebatur. Poples enim magis magisque tumuit, creverunt dolores; medici autem arcessiti nil praescripserunt nisi unguenta, hirudines, cataplasmata. Nihilominus extremitas dextra ad munera sua fungenda non rediit. Versus finem mens. Jun., quia medici sive hydropem genu, sive pyarthrum adesse cognoverant, inter patellam et condylum externum femoris punctio instituta est; at ex vulnere nil effluxit nisi paullulum sanguinis. Quum vero aquis frigidis, sudaminibus, cataplasmatibus adhibitis nihil esset effectum, medici amputationem instituendam esse dixerunt. Hanc refutans aegrota ultimum refugium petiit clinicum Gryphicum, ubi die quinto mens. August. h. a. recepta est.

Status praesens.

Aegrota, cujus vultus ipse dolores prodit, statura est gracili, pallida facie. Nec minus perspicue totus mulieris habitus nos docet, eam morbo gravi per aliquod tempus laborasse; nam paene in omnibus corporis partibus, quae normali in statu instructae sunt panniculo adiposo, adeps evanuerat, ideoque oculi in orbitis conditi, buccae fluentes, cutis rugosa, tela cellulosa subcutanea relaxata conspiciebantur; item adipe musculisque consumptis ossium tubera insigni modo prominebant. Accessit quod jam organa interna debilitata erant; etenim ciborum appetentia, nausea exorta, saepe defuit, motus intestinorum peristalticus plerumque retardatus, alvus dura fuit, obstructa. Sed pectoris disquisitione physicali nihil momenti reperiri potuit, nisi stridor quidam aspirans, qui una cum sono ventriculi cordis contractione exorto auditu percipiebatur. Aegrota ad latus debile se vergens, dextro crure extenso in lectulo prostrata fuit ac quemque genu motum evitavit, ne maximis doloribus cruciaretur. Praeterea femoris musculi atrophici atque oedemate infiltrati glandulaeque inguinales tumefactae inveniebantur. Quamvis vero tota inferior extremitas dextra macie excelleret, tamen genu ambitus tumore eximio amplificatus et deformatus erat, ita ut patella femorisque condyli oculis essent abscondita. Cujus tumoris cutis inflammatione non erat rubefacta, sed admodum

expansa, qua propter illa nitorem quendam praebuit. Qua in cute vasa sanguifera dilatata et serpiginosa, quae tumorem amplectebantur, in conspectum venerunt. Haud procul a condylo femoris externo vulnus, non plane cicatrice obductum, apparuit, quod punctione in tumorem facta remansisse mulier narravit. Digiti tumori impositi calorem adauctum senserunt, quem viginti novem graduum thermometron applicatum indicavit. Nondum vero partibus inferioribus cutis erat affixa, per quam praeter patellam immobilem alia ossium pars vix potuit tactu dignosci. Porro recessus articulationis genu superior inferiorque digitis impressis fluctuationem praebuerunt. Hac in genu intumescentia unam partem, quae in condyli interni regione sita erat, alterum quasi tumorem formantem manu distinximus. Qui novus tumor eo animadversus est, quod duro cingebatur margine, quamvis hujus natura non perspicua esset. Hic autem tumor fluctuans validiore impressione adhibita sub manibus dilabebatur, quo facto pulsatio regularis cum cordis actione congruens obviam venit, quae arteria femorali in parte centrali coërcita evanuit, sed arteria liberata statim rediit. Stethoscopii ope hoc loco una cum pulsu susurrus quidam stridens percipiebatur, qui tanti erat impetus, ut caput stethoscopio impositum tolleretur; susurrus autem arteria femorali compressa aufugit, compressione remota denuo auditur.

Quamquam aegrota genu immoto doloribus non afficiebutur, tamen in crure dolores usque ad hal-

lucem vagantes interdum exstiterunt, quotiescunque vero vel minima vis genu offenderet, toties femina vehementer querebatur.

Restat ut adnotem tumoris circuitum ultimum, qui 47 C. M. continebat; circumferentia vero tumoris in regione recessus articulationis superioris patens effecit 39 C. M. iisdem mensuris in genu sano institutis apparuit, illam circumferentiam maximam 4 C. M., superiorem autem $7\frac{1}{2}$ C. M. superasse ambitum articulationis sincerae.

Quibus rebus omnibus cognitis, nos errare non existimavimus contendentes, aneurysma popliteum causam hujus tumoris esse, quamvis verisimile sit, secundarias degenerationes epiphyses, quae genu articulationem formant, affecisse. Propter hanc ossium destructionem, quae hoc in casu paene gravioris momenti erat, quam aneurysma, non erat exspectandum, mulierem a malo periculoso prorsus liberatum, iri praesertim quum ejus vires valde essent comminutae.

Quum nobis esset ignotum, quantopere arteriarum tunicae degeneratae essent et quamdiu arteria sanguinis motu ac vi resisteret, neque dirumperetur, jam postero die ab Ill. Bardeleben arteria femoralis ligutura clausa est, inter quam operationem duo arteriae rami valdae dilatati, fuerant subligandi. Quo facto strepitus ille nec non pulsatio, quae antea animadvertebantur in tumore, statim evanuerunt, praeterea tumoris ambitus ita comminutus est, ut

in regione condyli interni margo ossis tactu perspicue percipi posset. Quae cum ita se haberent, nihil aliud nisi compressione arteriae supra ligaturam facta, fixatione et compressione genu adhibitis, fascia e gummi elastico constructa, cui vesica glacie impleta est imposita, usi sumus. Ut cordis impetus comminueretur, foliorum digitalis infusum aegrotae ordinatum est. Hac vero ligatura applicata mulieris constitutio viresque paullo validiores fieri videbantur; dolores enim, qui somnum antea eripiebant, cessarunt et aegrota, somno per longum tempus desiderato cibisque libenter consumtis valde recreatam se habuit. Sed vix duas hebdomades valetutine meliori gavisa est, quum complures per noctes somno careret et febre asthenica sudoribusque vexaretur, appetitus deficeret, sitis acris vix esset sedanda. Nullum verum medicamen contra haec mala porrectum bonum praebuit effectum, neque magnae opii doses somnum aducere potuerunt.

Postquam, febri asthenica novem dies aegrotam persecuta, virium collapsus magis magisque increvit, inopinato somnus viresque redierunt atque aegrota sanationem desperare desiit. Sed, therapia locali non mutata, paulo post tumor fluctuans in condyli femoris externi regione sensim exstitit et magis magisque adauctus est. Quam ob rem, quum jam horrores feminam denuo collapsam compluries jactassent, pus in genu articulatione inesse haud dubium videbatur. Quam propter suspicationem punctio tumoris instituta est, sed parum sanguinis

tantum effluxit. Praeterea genu, quia nisi immotum nullaque ratione offensum vehementissimos excitaret dolores, fasciis gypso illitis et fenestra praeditis, per quam vulnus tractandum esset, caute involutum est. Quum aegrotae valetudo in dies pejor fieret, vulnus quoque gangraenae signa praebuit; nam telae, quae vulneris marginem formabant, necrosi delebantur et ichor foetidissimus, sanguine putrefacto ex vulneris ostio exprimi potuit. Tum globulos quoque molles, fricabiles, subflavos sive subrubros specillo evulsimus. — Carcinoma medullare in lucem prodiit. —

Vulnere gangraena magis magisque amplificato, horroribus vehementioribus frequenter iteratis, febri hectica valde adaucta: mulier tandem viribus exhaustis diem obiit supremum.

Disquisitio pathologico-anatomica.

Cute femoris remotae glandula inguinales apparuerunt tumidae et molles. Tum venam saphenam reperimus dilatatam, at nullis coagulis fibrinosis impletam. Arteria quoque femoralis inde ab ligamento Poupartii usque ad originem femoralis profundae lumen praebet apertum. Ab hoc loco autem tactu sentitur dura, et, discisa, coagulis fibrinosis tunicae internae intime adhaerentibus ad illam usque partem, quae antea ligatura clausa fuerat, obturata est partibusque vicinis affixa animadvertitur. Vena femoralis in parte superiore

lumen apertum et dilatatum parietesque praebet crassos atque callosos, in parte vero inferiore angustior et thrombo fibrinoso molli atque subrubro reperitur usque ad foveam popliteam, ubi caret coagulis.

Per aperturam in regione condyli femoris externi sitam digitus induci potest in cavum, quod in epiphysi inferiori, substantia ossea cunsumta ac destructa, exortum fuerat. Hujus cavi parietes conformantur periosteo, cujus massa aut osteophytis adaucta erat aut cum musculis inter se affixis cohaerebat. Interni condyli loco tantum substantiae corticalis pars duos fere pollices longa reperitur, quae pontis instar, genu articulationem versus tendit et ita cum cartilagine est conjuncta, ut nulla in articulum perforatio exstiterit. Quae quidem ossis excavatio massa impleta erat medullari, qualem supra jam commemoravimus, sanguinis coagulis parvisque particulis osseis mixta.

Disquisitio microscopica, accuratius instituta, structuram et elementa carnomatis medullaris docuit.

VITA.

Natus sum, Carolus Mauritius Franciscus Mücke, fidei addictus evangelicae, in Saxoniae oppido Schleusingen. Die 29. mens. Jul. a. h. s. MDCCCXXXIII patre Eduardo, matre Louisa e gente Gessner, quos morte mihi ereptos valde lugeo. Primis literarum elementis a patre imbutus gymnasium adii Schleusingense, quod floret directore Hartung. Testimonio maturitatis instructus Halas me contuli, ibique ab Ill. Eiselen t. t. prorectore magnifico in numerum civium academicorum receptus et ab Ill. Hinrichs, t. t. decano ordinis philosophorum, nec non apud Ill. Goeschen t. t. decanum facultatis Jurisconsultorum nomen sum professus. Per duo semestria hisce interfui scholis:

Cel. Allihn: de logice.
Cel. Eisenhardt: de statistice.
Ill. Eiselen: de oeconomia nationali.
Ill. Bruns: de institutionibus.

Tum vero, mutato consilio, tempore Paschali h. s. LIII Lipsiae ab Ill. Schilling t. t. rectore magnifico in numerum civium academicorum et ab Ill. Wunderlich in gratiosi medicorum ordinis album relatus sum et per tria semestria audivi disserentes:

Ill. Petermann: de botanice.
Ill. Hankel: de physice.
Ill. Erdmann: de chemia organica nec non anorganica.
Ill. Naumann: de mineralogia.
Ill. Lindener: de psychologia.
Cel. Ed. Weber: de osteologia, syndesmologia, neurologia.
Ill. E. H. Weber: de myologia, angiologia, splanchnologia, de anatomia topographica, de arte cadavera rite dissecandi.
Cel. Assmann: de anatomia comparata.
Ill. Günther: de akiurgia, chirurgia. Eundem etiam ducem habui in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis nec non in clinico chirurgico.
Cel. Carus: de zoologia.
Cel. Funke: de physiologia nervorum.
Cel. Sonnenkalb: de politia medica.
Cel. Berger: de arte fascias chirurgicas rite alligandi.
Cel. Reclam: de pathologia et therapia universali.
Cel. Clarus: de materia medica, de arte formulas medicaminum praescribendi, de fontibus salubribus.

Deinde tempore autumnali h. s. LIV., almam Gryphiam petii, ubi ab Ill. Beseler, t. t. rectore magnifico civibus academicis adscriptus, ab Ill. Haeser t. t. decano in medicinae studiosorum numerum receptus per quatuor semestria hasce audivi lectiones:

Ill. Bardeleben: de chirurgia, de akiurgia, de ophthalmiatrice, de fracturis et luxationibus; eundem ducem habui in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis nec non in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.
Ill. Haeser: de pathologia et therapia speciali, de historia medicinae. Idem dux mihi fuit in clinico medico.
Cel. Eichstedt: de arte obstetricia, de operationibus obstetriciis; idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Ill. Schultze: de physiologia et anatomia pathologica.

Cel. Pohl: de syphilitide, de pathologia anatomica, de tumoribus.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam maximas; inprimis autem Ill. Bardeleben, qui munus medici auxiliarii in instituto clinico chirurgico mihi tradidit, quo per annum functus sum. Non possum denique, quin Cel. Pohl, qui in conscribenda dissertatione adjumenta libenter mihi attulit, grato animo commemorem.

THESES.

I.

In cataractae extractione sectio corneae superior praeferenda est inferiori.

II.

Vulnera capitis non sunt suenda.

III.

Versio in caput repudianda est.

IV.

Nullo potius quam ancipiti remedio utendum.